

Hermannchronik
(MGH SS 5, S. 131.37–133.43)

Baioariae ducem, cui iam prius infensus erat, incusatum, quorundam principum iudicio ducatu privavit. Quo tempore regni tam primores quam inferiores contra imperatorem magis magisque mussitantes, iam dudum eum ab inchoatae iusticiae, pacis, pietatis, divini timoris, multimodaeque virtutis tenore, in quo de die in diem debuerat proficere, paulatim ad quaestum et incuriam quandam deficere, multumque se ipso deteriorem fore, causabantur. Altdorfense coenobium igne consumitur.

Domnus papa, habita Romae post pascha synodo, contra Nortmannos, ut proposuerat, exercitum movit. Cumque illi pacem petentes subiectionem servitiumque ipsi promitterent, et quaeque prius iniuste sibi usurpantes invaserant, eius beneficio gratiaque retinere velle se dicerent, idque papa abnegans vi et iniuria raptae res sancti Petri reposcerent, eosque perperam pervaso cedere loco iuberet: illi, quia numero longe praestabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potius bello obviam ituros, armisque adquisitam patriam, armis defensuros vel morte occubituros denuntiant. Sicque XIII Kalend. Iul. valida pugna confligentes, prima acie a Theutonicis pene victi sunt. Sed succenturiatis copiis ex insidiis nostros circumvenientes, Italici citius terga verten-

Wien Hs. 3399, Fol. 106^v–109^v
Muri-Sarnen Hs. 10, Fol. 96^r–97^r

Chuonradum Baioarie ducem, cui iam prius infensus erat, incusatum, quorundam principum iudicio ducatu privavit. Quo tempore et maiores et minores regni imperatorem se ipso multum deteriorem fore causabantur.

Unde domnus papa cum pluribus Theutonicorum Romam rediens, post pascha contra Nortmannos exercitum movit. Sed exercitu eius partim fugato, partim occiso a Nortmannis, ipse papa in quodam castello ab eis obsesus, cum expugnata iam iamque munitione necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis Beneventum tamen cum honore reducitur, ibique ne rediret, aliquamdiu detinetur.